


# De Mensura corporum. 127

Ium vnum obtusum tantum vnum quadratum poterit inscribi sit igitur trigonus quia terminus vnius basis est semper duplum a b c cuius latus a b sit 15. & a c 13. & b c 14. constat quod possum super quod volo latus construere quadratum & sit superlatus B.C. maximum quadratum inscriptum. d e f g. ita quod tangat latera & producatur a h perpendicularis que



erit 12. quia area trigoni est 84. & c b 14. quare diuiso 84. per 7. exit 12. hoc stante ponatur d e 1 co. Quare erit d e f g 1 ce. Ducta 1 co. in se: & quia c b est 14. & d e 1 co. erunt residua c d & e b 14. m. 1 co. Quare multiplicata dimidium eius quod est 7. m.  $\frac{1}{2}$  co. in 1 co. & est altitudo fient duo trigoni c d g & b e f 7 co. m.  $\frac{1}{2}$  ce; cui adde quadratum d e f g quod fuit 1 ce. fiet tota superficies g f c b  $\frac{1}{2}$  ce. p. 7 co. Hanc detrahe ex 84. area trigoni a b c habebis aream trigoni a g f 84. m.  $\frac{1}{2}$  ce. m. 7 co. Hanc diuide per dimidium basis g f quod est  $\frac{1}{2}$  co. exibit a k 84. m.  $\frac{1}{2}$  ce m. 7 co. quia à k est 12.

m. 1 co. & à h 12. igitur 12. m. 1 co. æquantur illi fractioni multiplicata omnia per  $\frac{1}{2}$  co. habebis 6 co. m.  $\frac{1}{2}$  ce. æqualia 84.  $\frac{1}{2}$  ce. m.  $\frac{1}{2}$  ce. m. 7 co. igitur æquando fieri 84. æqualia 13 co. quare res vallet  $6\frac{9}{13}$ . & tanta est d e; & similiter h k quare a k erit  $5\frac{7}{13}$ . Si autem vis scire f b. eb. cg. cd. tu scis quod trigoni a b h & f b e sunt similes, multiplica igitur f e in a b & fiet  $96\frac{12}{13}$  diuide per a h quæ fuit 12. exit f b  $8\frac{1}{13}$  qua habita habes f a & reliquias.

## CAPUT LXIV. De Mensura corporum.

**I**N capitulo hoc primò declarabimus lineas corporum & earum differentias. Secundò superficiem corporum regularium ipsa exterius ambientem. Tertiò superficiem corporum æqualium non tamen regularium. Quartò quantitatem 6. corporum regularium. Quintò quantitatem reliquorū corporum æqualium non tamen regularium. Sextò, corporum irregularium magnitudinem, nam superficies exterior nullo potest nisi accidentaliter ac incertè ingenuo mensurari nisi ex planis tota constet superficiebus.

Porro corpora regularia 6. sunt: sphæra, tetracedron, cubus, octocedron, ycedron, duodecedron; horum formam ex plano constituere docuimus in libro de rerum varietate. Äequalia corpora non regularia sunt, laterculus, romboides, columnæ pyramis rotunda & angulatis, corpus serratile, ac denique omne corpus quod exceptis basibus omnes superficies, aut habet parallelogrammas, aut trigonas, aut rotundas.

Et nota quod sicut quadratum est mensura omnium superficierum, ita cubus est mensura omnium corporum.

Sunt autem lineæ quarum & cognitio habenda est quinque, & nomine diuersificantur ac naturâ. Prima est latus, secunda diagonalis, tertia diameter, quarta katetus, quinta dicitur altitudo.

Est autem latus in cubo, exempli gratia, ab angulo ad angulum linea producta drum superficierum communis terminus sunt autem 12. latera in cubo, & similiter in laterculo, & romboide. Nouem autem in corpore serratili siue prisme, in pyramide autem angulari aut columnâ secundum multitudinem superficierum.

Diagonalis est ab angulo vnius superficie quadrilateræ ad angulum oppositum eiusdem, exterius ipsam superficiem per æqualia dividens, & sunt 6. diagonales in cubo, & romboide, & laterculo, & 3. in corpore serratili, & omnes subiacent oculis, cum sint exterius positæ, pyramis autem trilatera, octocedron, duodecedron, & ycedron, earent diagonali & propriæ diagonalis non inueniuntur nisi in corporibus habentibus quadrilateras figuræ.

Diameter autem est ab angulo opposto corporis solidi: ad angulum oppositum Transiens per medium Corpus: vnde nec videri, potest nec mensurari, sunt autem 4. diametri in cubo & similibus, & non inueniuntur in corpore serratili. Inueniuntur & in octocedro, duodecedro, & ycedro; & sunt tot in omni corpore quantus est numerus medietatis angulorum, & ideo non inueniuntur propriæ in corporibus habentibus impares angulos, nec possunt esse duas tamen, sed una vel tres aut plures: & ideo non inueniuntur in tetracedro.

Katetus est linea veniens à centro corporis solidi ad basim siue superficiem aliquam ipsius corporis perpendiculariter: improptè autem ab angulo ad superficiem perpendicularis ducta appellatur, vnde nec videri potest nec mensurari.

Altitudo est linea veniens à summitate corporis super planum super quod corpus ipsum iacet perpendiculariter: hæc autem linea quandoque intra ipsum corpus est, cum corpus super planum perpendiculariter steterit, quandoque vero est extra corpus, cum ipsum super planum suæ basis inclinatum steterit, exempla horum omnium videbis inferius.

Si nota fuerint latera, multiplicata ea in se, & aggregati 12. est linea diagonalis, veluti sit latus vnum 8. aliud 6. duc 8. in se facit 64. duc 6. in se facit 36. iunge 64. & 36.